

## DE REB. METALL.

que, qui in meas venerunt manus, coloris fului fuerunt. Eundem plerunque referunt qui in fluuijs, & maxime in torrentibus colliguntur, qui forma aut sunt teretes, vt qui iuxta ripas iacuerunt: aut rotundi & globosi, vt qui in alueis decursu aquarum in hanc orbicularem speciem formantur: quod itidem in lapillis videmus fieri, qui fluctuum repercussione in littoribus rotundi fiunt. Quamobrem primum genus digitorum simile est, & interdum internodijs quasi articulis distinctum: alterum testiculorum, vnde *διόρχαι* & *πειόρχαι* dici possent. Tales munere accepi à claro & eximio viro Iohanne Ienitio, illustrissimi ducis Electoris Saxoniae secretario. Pyrites autem qui metalli aut succi alicuius ferax est, exploratur pondere: qui omnino sterilis, depræhenditur leuitate. Ii qui tormentis manuarijs, quæ bombardæ